

Matthias Stephani Balthasar Moltke von


Discursus Academicus, De Summo Territorii Iure, vulgo LandesObrigkeit/ Hohe Lands- Fürstliche Obrigkeit

Gryphiswaldi: Typis Albinianis, 1618

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769357482>

Druck Freier  Zugang





~~K. v. H.~~

35 a. 6.

Jc - 1235.

DISCURSUS
ACADEMICUS,

De

SUMMO TER-
RITORII JURE, vulgo

Lands Obrigkeit / Hohe Lands

Fürsittliche Obrigkeit :

Quem

Sub presidio

MATTHIÆ STEPHANI J. U. D. ET

Antecessoris in Academia Gryphiswal-
densi,

Publico examini


subjecit


BALTHASAR Mostke Nobilis Me-
gapolitanus.

*Fiet disputatio in auditorio majori 13 die Junij
horis matutinis solitis.*

GRYPHISWALDI

Typis ALBINIANIS, Anno
cdo M c xviii.





ILLUSTRISSIMIS & CELSISSIMIS
Principibus ac Dominis,

DN. ADOLPHO FRIDERICO,

&

DN. IOHANNI ALBERTO,
Fratribus germanis,

DUCIBUS MEGAPOLITANIS; VETU-
STÆ GENTIS HENETÆ PRINCIPIBUS; COMI-
tibus Schwerinensium; Rostochiensium & Star-
gardenfium Dominis;

Dominis meis clementissimis,

hunc ex jure publico Discursum
Academicum,

*submissâ animi devotione
offero*

BALTHASAR MOLTKE.



CHRISTO DUCE & AUSPICE,

DISCURSUS DE SUM- mo territorii Jure.

I.



ERRITORII VOCIS NON una & eadem est significatio. Primò namq; territorium accipitur improprie, pro jure terrendi, hoc est, pro potestate dicendi jus, exequendiq; , vel administrandi jurisdictionem, quam habet quilibet Magistratus, etiam inferior, in districtu sive territorio suo ; quò pertinet illud Pauli *lib. 1. ad Edict.* Extra territorium jus dicenti impunè non paretur *l. fin. de Jurisdic.* Secundò, territorii significatio refertur ad universitatem agrorum ; & consideratur territorium circumscriptivè, quatenus nimirum, ditio vel territorium cujuscunque, intra fines certos veluti cancellos includitur, suisq; limitibus scriptum, ab aliorum territoriiis discernitur, *Knich. in*

A 2

com-

comment. ad Jus Sax. verb. Ducum Saxonie cap. 4.
Tertio, quando de jure territorii, ut hoc loco, tractatio est, territorium propriè accipitur pro Ducatu, Principatu &c. quatenus cohæret & inest jurisdictioni; jure universalis superioritatis, *Natta cons. 149. n. 19.* à terrendo; eò quod is, cujus est territorium, habeat justerrendi, hoc est, potestatem jus dicendi, & exercendi superioritatem, jure territorij *l. pupillus 239. § territorium 8 de verb. sign.*

II.

Definiri sive describi potest jus territorii, quòd fit superioritas, sive jus quoddam universale, & suprema Jurisdictio, Principibus, aliisve statibus Imperii in suis provinciis sive territoriis perpetuò competens. Nostri *Lands Obrigkeit/die hohe Lands Obrigkeit/die Lands Fürstliche Obrigkeit*/Rectè autem hoc jus & potestas appellatur Territorij voce: ut distinguatur ab altero jure statuum Imperii, quod in administratione totius Reipublicæ consistit, *per not. lib. 2. de Jurisdict. p. 1. cap. 7. in pr.*

III.

Illud jus territorii, aliud est universale, ratione nimirum universalis territorii, quod quis possidet: cujus intuitu habet fundatam intentionem in omni superioritatis & supremæ jurisdictionis jure, itemq; in omnes personas, omnesque causarum species in
ter-

territorio illo exortas; aliud verò est speciale,
quod nimirum status aliquis Imperii exercet in ter-
ritorio alterius, vel expressa conventionione & con-
sensu Domini illius territorii universalis, vel ex
alio titulo singulari: quò casu, jurisdictio illa non
est universalis, sed, uti convenit, servanda est; adeo-
que, nisi ad specialiter expressa, non trahitur. *Knich.*
in tract. de jure territorij cap. 2 & 4.

IV.

Præterea sicut jurisdictio alia est Ecclesiastica
alia secularis: Ita quoq; Superioritas territorialis
non una tantum est secularis, sed est quædam etiam
Ecclesiastica. Pontificii juris compilatores eam Ec-
clesiasticæ dignitatis excellentiam, vocant Majori-
tatem *tot. tit. de Majoritate, ubi Dd. Nov. 6. in pr.*
& cap. 1. tot. tit. C. de SS. Eccl. & tot. tit. C. de Epif.
aud. Ecclesiastica hæc Superioritas ac Jurisdictio
sibi soli vindicat ordinationes & confirmationes
Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum & reli-
quorum Ecclesiæ ministrorum, *tot. dist. 23. 24. 63*
& 5. seqq. & dist. 70. 71. 77. 79. itemque inspectio-
nes, visitationes & procurationes, *c. mandamus*
Ext. de offic. archidiacon. c. cum venerabilis & c. seq.
Ext. de censib. dispensationem circa gradus con-
sanguinitatis & adfinitatis, *c. 3. ubi Dd. c. quia Ext.*
de consang. & affin. itemq; cognitionem causarum

matrimonialium, juris patronatus, decimarum, Simonia, hæreseos, & si quæ sunt alia, de quibus Hostiensis *in summa de foro compet. n. 11.*

V.

Cæterum, quibus competant jura territorialia, indicat descriptio juris territorii modo proposita, ubi dictum, jura territorialia competere duntaxat principibus, aliisque statibus imperii, immediatè Imperatorem & Imperium Romanum recognoscen-
tibus. Mediatè enim subjectis rectè denegantur: indignum siquidem, ut privati percipiant jura Regia. *Luc. de Penna in l. 2. C. de jure Reip. n. 3. verb. è contra & l. 2. Sub n. 2. vers. & breviter C. de fund. limitroph. lib. 11.* Et quidem statibus jura illa competunt perpetuò: cùm olim secus esset. Constituebantur enim Magistratus ad certum tempus, vel ad terminum vitæ saltem, neq; tunc opes & dignitates officii illis annexæ erant, sed salariis & stipendiis contentos esse oportebat: Tandem verò ut sibi obsequentiores eos redderet Princeps, non sine justa ratione, perpetuò administrationi præposuit, *arg. cap. 1. § & quia videmus. de his qui feuda dare poss. c. unic. in pr. de feud. March. Lancelot. in. templo omn. judic. lib. 1. cap. 1. § 4. ad verb. feuda non revocat.* Prout hodie adhuc ab Imperatore hereditariè & perpetuò, cum universali territorii jure, &
sub

sub qualitate **der hohen LandesFürstlichen Obrigkeit** investiti, proprio & ordinario jure, omnia ea, quæ antea ut officarii tantum, sive temporarii magistratus, & vice Imperatoris, hodie in territoriis suis facere possunt, *Knich. de jure territorij cap. 1. Vult. lib. 1. de feud. cap. 1. n. 14.* ideoque Ducatus, Comitatus, Baronix non ut olim muneris & administrationis, sed patrimonii sunt nomina, nec revocari possunt à Principe pro libitu, sed hereditaria successione transferuntur, *Joach. Steph. lib. 1. de jurisdic. cap. 3. n. 37. & seq.*

VI.

Eadem ratione dicendum; civitates Imperiales jura territorialia sive jura superioritatis habere. Nam eo ipso, quod inter status Imperii receptæ sunt, jura illa civitatibus ejusmodi competunt. *Gail. 2. Observ. 57. n. 7. & in tract. de Arrest. Imperij cap. 9. n. 1.* cum status Imperii nomen, non magis inutile vel inane esse debeat, quam Principis nomen, *Bald. tract. de Schismate in pr. n. 10.* Ut ut ergò hoc neget *Andreas Knichen in tract. de jure territorij cap. 1.* rectius & verius tamen dicitur, civitates Imperiales habere jura realia, sive territorialia **die LandsObrigkeit** / ratione nimirum territoriorum quæ possident. Differunt tamen civitates Imperiales à Principibus in eo, dum hi simul Principes

pes sunt, & habent quoque territoria; quorum respectu duplici, Principes non tantum habent jura realia sive territorialia, sed etiam jura Principum personalia, adeoq; dicuntur habere **Landes Fürstliche Obrigkeit**: At in civitatibus Imperialibus non est Dux vel Princeps, **ein Fürst**/ Ergo nec jura Principis, **Fürstliche Obrigkeit** / *Per not. lib. 2. de Jurisd. p. 2. cap. 1. n. 64 & seqq. & p. 1. cap. 2. n. 186 & seqq.*

VII.

Ethic est unus modus per quem jurisdictio territorialis sive jus territorii acquiritur, nimirum quando quis cooptatur in numerum statuum Imperii, & ita immediatè Imperatori Imperioq; subiectus, ac tanquam Imperii membrum, de totius corporis participat natura *per not. lib. 2. de jur. p. 1. c. 2. n. 186 & seqq.* Deinde acquiritur jus Superioritatis per concessionem territorii, mediante investitura nimirum facta ab Imperatore de territorio propriè sic dicto, puta de Ducatu, Principatu, Marchionatu, &c. Eo ipso enim quod quis de Principatu, Ducatu, Marchionatu investitur, jura quoque territorialia, quæ illis adhærent, consequitur: unde Jus territorii **Landes Obrigkeit**; & investitum de territorio, **Dominum**, sive Principem territorii **Landes Fürsten oder Landes Herren**/ indigitamus *Knich. d. tract. cap. 1. Paurmester lib. 1. de Jurisd. cap. 8.*

cap. 8. Præterea jus superioritatis acquiritur præ-
scriptione & consuetudine, quæ censetur loco in-
vestituræ esse, eò quod usu & exercitio possessio-
nis vel quasi est firmata. *And. de Isern. in c. 1. §.*
præterea Ducatus. de probib. feudi alienat. per Fri-
der. VVesemb. consil. 60. n. 3.

VIII.

Vigore hujus perpetuò competentis jurisdic-
tionis sive juris territorialis, Principes, alijq; sta-
tus Imperij, in suis ditionibus sive territorijs exer-
cent omnem omninò jurisdictionem, quam Impe-
rator habet in universo Imperio Romano: habita
scilicet relatione ad subditos suarum provincia-
rum; qui exinde juramentum subjectionis, homa-
gium vocatum, **Erb und Landshuldigungß Eide**
præstare coguntur *Natta cons. 636. Gail. de ar. c. 6.*
§ 7. vide lib. 2. de jurisd. p. 1. cap. 2. n. 209. § seqq. &
fideles dilecti **siehe getreuwe** appellantur. Sequela
juramenti subjectionis, dicitur paritio in Comitijs
provincialibus, in **Landtagen**/quod nimirum voca-
ti ad comitia subditi comparuerunt, eaq; præstite-
runt, quæ reliqui subditi relati in album subditorum
& provincialium *Gail. de arrest. cap. 7. n. 14.* Hujus
rursus consecrariū est, administratio justiciæ, sive
immediatè in aula, sive in curia provinciali, causa,
tam in personalibus, quam realibus, activè & pas-

B

sive

siyè ventiletur *Knich. de jure territorij cap. 3. n. 153*
& *seqq.*

IX.

Non tantum autem jus territorij, personas, uti dictum, verum etiam res sive castra & prædia, ad principem aliquem immediate spectantia concernit, & quidem tum quoad Religionem, tum quoad Politiam. Religionem quod attinet, de eo constat, status Imperij habere liberum religionis exercitium in suis ditionibus instituendi & mutandi arbitrium, idq; ex constitutione pacis religiosæ de Anno 55. vers. **und damit solcher fried** & *seqq.* Deinde cum per prædictam pacificationem, suspensa sit Ecclesiastica Catholicorum Romanorum jurisdictio, in reformatis Ecclesijs; cognitio in causis Spiritualibus & Ecclesiasticis ad Principes aliosq; status Imperij jure superioritatis devoluta est. Ut ita hodie verissimum sit; cujus est regio, illius quoq; religio: cujus est ducatus, Principatus, territorium seu jus territorij, ejusdem etiam est jus Episcopale, seu jurisdictio Ecclesiastica & Spiritualis; quam status Imperij hodie expediri curant, tum per consistoria Ecclesiastica, tum per Superattendentes *Knich. de jure superiorit. cap. 3. n. 232. & seqq. Dixi quoq; lib. 2. de jurisd. cap. 7. n. 471. & lib. 3. de jurisd. cap. 1. num. pen.*

X. Quo-

X.

Quoad politiam, exercent status Imperij jurisdictionem territorialem, inservientem vel bello vel paci. Belli intuitu, Princeps, vel alius status potest subditis suis pro qualitate personarum arma inponere, **mügen ihren vnderthanen wehr aufflegen** / quod jus armorum nostrates vocant **die Musterung**; quin & subditi Principem bello seditionibusq; afflictum præstò sequi tenentur *Knich. in comment. ad jus Saxon. ad verb. Ducum Saxonie §. Steur folge in fin.* Potest etiam Princeps fortalitia in suo territorio **die Befungen** militibus firmare, eorumq; subsidio & opera uti, ad communem sui suorumq; defensionem *Raudens resp. 28. n. 30. lib. 1.* Oppida item & arces, quamvis sint nobilium, Principi tempore belli semper patent: hinc aperturam castritempore belli alicui debitam arguere superioritatem, respondit *Wesenbecius consil. 2. n. 78. lib. 1.*

XI.

Jus territorii sive superioritatis explicatur tempore togæ sive pacis, in fanciendis legibus & politicis ordinationibus, earumq; executione. Hinc territoriales Domini habent sua dicasteria provincialia, ut & constitutiones provinciales **Landfordnung / Hoffgerichtsordnung** quas subditi uniuscujusq;

jusq; territorii observare tenentur *Gail. de arrest. cap. 7. n. 14. Schrad. de feud. p. 10. sect. 8. n. 28.* Quin & Regalia Principes in suis territoriis jure superioritatis sibi usurpant; cum nimirum Regalia dignitatibus Regalibus, uti Ducatibus, Marchionatibus, quasi contineantur *fac. c. 1. in pr. de feud. March. Anton. Peregr. in tract. de jure fisci Rubr. 2. de ijs qui jura fiscalia habent n. 76.* Et huc etiam refertur jus appellationis recipiendæ: ea enim non nisi ad superiorem tendere potest *Gail. in tract. de arrest. Imperij cap. 7. n. 14.* quamvis exinde immediata superioritas argui necessario non possit: cum Princeps aliquis per contractum eam jurisdictionem à se abdicare possit: cujus rei exemplū in est Rostochiensis populo, qui, à sententiis per Senatum ibidem latis, Lubecam appellant, prætergressa curia Ducali: quod jus Rostochiensis sibi titulo emtionis à Duce quodam Megapolensi acquisivisse: & adhuc ex transactione Anno 1584. habita illis liberum esse, an ad Senatum Lubecensem, an verò ad Curiam Principis sui appellare malint, refert D. Ernestus Cothman *consil. 5. n. 2 & 3. vol. 1.*

XII.

Amplius virtute jurisdictionis territorialis, status Imperij in suis provinciis commoda multa perci-

percipiunt; ut sunt poenarum mulctarumq; com-
pendsia, quæ fructus jurisdictionis sunt, in ultio-
nem illatæ injuriæ & transgressæ justitiæ *l. i. ff. si quis
jus dic. non obtemp. Natta consil. 580. primo quæri-
tur n. 16. & seq.* Item confiscationes, & bona de-
cedentiũ sine heredibus legitimis. Hinc jus bono-
rum vacantium, non civitati alicui Municipali, sed
ejus Domino tanquam Principi competere, ner-
vose & juridicè probat D. Ernestus Cothman *resp.
55. per tot. vol. 2.* Sic civitatem, quæ superiorem
recognoscit, in bonis sui civis sine herede de functi
jus confiscandi non habere, sed illud domino ter-
ritorij illius in qua est civitas competere, tradit Bar-
tolus *in l. 1. n. 2. C. de bon. vacantib. & in l. item
conveniunt §. ait Senatus n. 2. de petit. hered.* Et
non tantum Imperatori, sed & Principibus jura
Regaliorum habentibus, jus fisci in suis provinciis
competere, ijsq; solis velut præcipuam atq; emi-
nentem superioritatis notam reservari, tenent alle-
gati à D. Cothmanno *d. consil. 55. n. 32. ubi seq. n. 33.
probat, bonorum vacantium dominium statim à
mortè ultimi possessoris sine herede defuncti ad
fiscum transire per l. 1. §. 1. de jure fisci l. cum duobus
§. idem respondit, ibi Accurs. verb. dominium dedit
ff. pro socio.* quamvis ipsorum bonorum possessio
ipso jure in Principem non transeat *Marian. Socin.
junior consil. 127. per tot. vol. 2.*

XIII.

Quin & collectas jure territorij & superioritatis ordinariæ, in signum universalis dominij indicunt, & exigunt à subditis, Principes Imperij *l. 1. C. de superindict. lib. 10. Schurff. 59. in presentin. 26. cent. 1. Modest. Pistor. consil. 9. n. 19. vol. 2. Gail. 1. obs. 21. n. 9.* etiam pro maritandis filiabus *gl. in l. placet verb. Canonicam & ibi Jas. n. 19. C. de SS. Eccles. Koppen decis. 32. n. 9.* ubi dicit, nos in Germania videre, pro maritandis filiabus Principum, subditis indistinctè collectas imponi, non quidem jure meri aut mixti Imperij, sed quod Principes vel regalia ab Imperatore sibi concessa habeant, vel quod specialiter eatenus sunt Privilegiati, vel quod id faciant consensu subditorum, aut tandem longissima consuetudine jus collectandi acquisierint. Et hanc sententiam tenet Laurentius Kirchoff *in thesauro comm. opin. in verbo, Princeps an possit.* quam etiam in Germania ex communi usu Principum passim obtinere, testis est Mynsingerus *5. Obs. 21. in fin.* Idem juris existimatur esse in principe eo etiam, qui regimen & administrationem provinciæ alicujus non habet, sed per pacta à Ducatibus, certo aliquo percepto, segregantur. *per ea que notata sunt lib. 2. de jur. cap. 7. n. 454. & seqq. & à Vulteio consil. 35. inter Marpurgen-*

purgensia vol. 3. Cæterum in illis locis, ubi talis consuetudo collectandi viget, non tantum pro una filia, uti putat Guido Papæ *decis. 57.* sed etiam pro aliis filiabus, si quæ plures adhuc sunt, elocandis collectæ exigi possunt *Massuer. in pract. for. tit. de tallijs seu collect. excub. n. 6. Tiraq. de primogen. quest. 70. n. 2.* Idq; obtinet, quando filia una vel altera elocatur prima vice: secus enim est, si mortuis dominis maritis ad secunda vota hæc vel illa transfiret: casus enim elocandæ filiaë est equidem reiterabilis in personis, puta, plurimarum filiarum; non etiam unius filiaë *Guido d. decis. 57. in fin. Menoch. de arb. jud. quest. casu 181. Pet. Frider. lib. 2. de mandat. cap. 45. n. 5.* Quod si pater decessit, relicta filia, itemq; filio, qui est successor patris in administratione, certè & pro hac sorore elocanda, frater collectare subditos potest, quos pater potuisset: nam favorem filiarum respicit, quod ex publica collecta dotem sibi paratam habent: ille igitur favor in morte parentis non extinguitur *Frider. d. loc. n. 6. in fin.* Sane stante hac consuetudine, Dominus pro nuptiis filii nihil potest petere: quia eo casu dotem non dat, sed accipit filius *Rosenth. de feud. concl. 19. n. 5.*

XIV.

Qui jurisdictionem territorialem habent, illi
in sub-

in subjectis provincijs universaliter, soli fundatam intentionem habent quoad omnem jurisdictionis & Imperii speciem: quod ut maxime obtinet, cum generales sunt territorii domini, *ut dictum sup concl. 3.* imo & in singulis eorum finibus contentis *arg. l. 1. §. 4. de offic. præf. urb.* qui enim se fundat in toto, in qualibet quoq; parte se fundet necesse est *arg. l. que de tota 76. ff. de rei vindicat. Hier. de Monte in tract. de finib. regund. cap. 96. n. 9. Gail. 2. ocf. 62. n. 9. & de Pignorat. obs. 8. n. 6. & seq.* Ad loca tamen exempta, uti monasteria, Ecclesias, vel castra jurisdictionem per se exercentia, minimè extenditur *Vant. in tract. de nullit. ex defect. jurisd. n. 118.* Sic Felinus, castra quædam de comitatu Imolæ esse scribit, quæ tamen de districtu Bonon. sint. *in c. Rudolphus n. 10. de Rescript.* Parià namq; sunt, non subjici, vel exemptum esse *VVesenbec. consil. 37. n. 10. per c. cum Episcopus ibi gl. de offic. ordin. in 6.* Sic nec ex hac territorij præsumptione vindicatur proprietas locorum & terrarum intra limites civitatum sitarum *Valasc. de jure Emphyt. quest. 8. n. 38. & seqq.*

XV.

Ad probationem superioritatis faciunt insignia Principum in curia alijsve locis depicta *Cbass. in Catalogo gloriæ mundi p. 1. concl. 55. Natta consil.*

636.

636. n. 2. Et sic insignia principis, prædijs & portis ad-
di in signum subjectionis, perq; ea superioritatem
etiam probari, tradit Wefenbecius *ad tit. C. Ut ne-
mo privatus titulos prædijs suis, vel alienis imponat
& cum ibi alleg.* Æque ut insignia & arma in scul-
pta in Ecclesia, arguunt jus patronatus *Mascard. de
probat. concl. 958. n. 21. & seqq.* Sic moeniorum do-
minium esse Principis, cujus arma & insignia in ijs
depicta, respondit Rolandus à Valle *consil. 84.
Quoniam n. 23. & seq. vol. 2.* Huc etiam pertinet
solennis Principum intrada sive introitus, **Einreis-
ten** / habens hodie annexam clavium oblationem,
quæ per se superioritatem & dominium infert
*arg. §. item si quis merces Instit. de rer. divis. l. cla-
vibus 74. ff. de contrab. emt.* Proficit itidem ad
probationem superioritatis, edictorum & manda-
torum observantia, præsertim dum non alia inten-
tione, quam se subjiciendi Edictis, paritum sit. *Mas-
card. concl. 546. n. 4. & concl. 1339. n. 1.* Imò & per
solam Edictorum affixionem induci superiorita-
tem, etiam si nemo pœnam incurrat, probat *Nat-
ta d. consil. 636. n. 77.* Ejusdem generis est admini-
stratio justiciæ: unde illud vulgatum; quite judi-
cat, dominus tuus est *Roman. consil. 70. viso thema-
te vers. Quintò quia* Quin & jus eligendi Præto-
rem, Scabinos, Magistratus, eosve confirmandi,
C Princi-

Principis est, ejusq; superioritatem arguit *l. 1. de amb. Nov. 15. cap. 1. §. 1. Natta d. consil. 636. n. 67.*
Valida probatio superioritatis deducitur etiam præstito juramento subjectionis *c. unic. ibi. sub jurisdictione. Qual. jur. vas. deb. Gail. de Arrest. cap. 7. n. 10. Natta d. consil. 636. n. 64. Et seq.* itemq; perceptione reddituum, veluti poenarum & mulctarum, bonorumq; vacantium, & quæ indignis auferuntur *Chass. in consuet. Burg. Rubr. 1. §. 7. Peregr. in tract. de jure fisci pass. & similibus.*

XVI.

In hac autem materia jurisdictionis, super possessione creberrimæ sunt lites: ubi tamen non sufficit probare actus possessorios: cum sine concessione & autoritate Imperatoris vel Principis jus aliquod non competat; & idcirco qui illud in judicium deducit, debet allegare dominium *Petra de fidei comm. quest. 13. n. 575.* Et hoc est quod dicitur, possessorium jurisdictionis continere & annexam habere causam proprietatis *Cacher. decis. 25. n. 10. Valasc. de jure emphyt. quest. 8. n. 27.* Unde in jurisdictionis judicio nihil frequentius, quam ingeminare literas investiturarum, easq; producere, & petere, ut adversarius eas recognoscat. *Knich. de jure territ. cap. fin. n. 26.* Quod si itaq; quis legitime

timè territorium universale & dominium probaverit, habet fundatam intentionem quoad universale & ordinarium jus superioritatis, *der landesfürstlichen Obrigkeit Kirchow. cons. 1. n. 18. tom. 5. var. germ. Juriscons.* Quantum verò ad jus superioritatis particulare in alterius territorio artinet, specialis probatio, generalem submovet *Knich. d. tract. cap. fin. n. 72. & seqq.* Idq; obtinet quando disceptatio est inter Principes, de universali territorij superioritate, aut de singulari in alterius territorio. Disceptante vero Principe cum vasallis & subditis de juribus superioritatis, puta, si Principi subjectionem, collectas, & similia jura negant; hoc casu, Princeps itidem fundatur territorij vigore, & intuitu Imperatoriarum & Imperij concessionum, & sic causa possidendi, quod nimirum præstiterint omnia ea, quæ alij subditi præstiterunt; cujusmodi actus superioritatis supra deduximus. Qui actus si insuper deducti fuerint, necesse est, ut qui se exemptum profitetur, id legitimè probet & edoceat *Knich. d. tract. de jure territ. cap. fin. n. 80.* Et tantum de jure territorij. sequuntur nunc quædam Colophonis loco

Corollaria.

C 2

I. Re-

I.

Rectè ne tria constituantur civitatum genera, unum liberarum Imperialium, secundum subditarum & merè provincialium, tertium earum quæ mixtum statum obtinent, ac partim sunt Imperiales, partim provinciales? Ita putamus.

II.

An Magistratus in civitatibus rectè concives suos appellent subditos suos libere Vnderthanen? Nos dicimus id imperitè fieri.

III.


An Typographiæ nullibi, præterquam ubi Electores, Principesve sedem aulamve habent, vel studiorum Universitates sunt, Imperijq; civitatibus, constitui possint? Ita Recessus Imperij volunt.

IV.

An spurius Doctoris gradu & titulo de jure insigniri possit? Adfirmativam ut veriore, justior, & rectiorem defendemus.

SOLI DEO GLORIA.


















in insignia principis, prædijs & portis ad-
subjectionis, perq; ea superioritatem
i, tradit Wefenbecius *ad tit. C. Ut ne-
titulos prædijs suis, vel alienis imponat
leg.* Æque ut insignia & arma inscul-
ta, arguunt jus patronatus *Mascard. de
958. n. 21. & seqq.* Sic mœniorum do-
Principis, cujus arma & insignia in ijs
spondit Rolandus à Valle *consil. 84.
23. & seq. vol. 2.* Huc etiam pertinet
ncipum intrada sive introitus, **Einreis**
hodie annexam clavium oblationem,
superioritatem & dominium, infert
*quis merces Instit. de rer. divis. l. cla-
de contrab. emt.* Proficit itidem ad
n superioritatis, edictorum & manda-
vantia, præsertim dum non alia inten-
se subjiciendi Edictis, paritum sit. *Mas-
46. n. 4. & concl. 1339. n. 1.* Imò & per
orum affixionem induci superiorita-
nemo pœnam incurrat, probat Nat-
6. n. 77. Ejusdem generis est admini-
iæ: unde illud vulgatum; quite judi-
stus est *Roman. consil. 70. viso thema-
ntò quia* Quin & jus eligendi Prato-
los, Magistratus, eosve confirmandi,
C Princi-